



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati Caesarei, Pars Lyrica**

**Gibbes, James Alban**

**Romae, 1668**

Apollo Lyram Svam Lavdat contra Mercurij caduceum. Ode VI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13378**

Raptoris vt stellæ mouentur  
Solis ad arbitrium sequaces :

Quocunque regum sed sapientia  
Expugnat auro corda valentiùs :

Hæc pacis Europæ superbis  
Te statuit dominis sequestram :

Hinc Tuscus aliam Tybris adorem ,  
Festosquè plausus aggerat hospita :

Hic rumor astrinxit Sabæ  
Aufonium Salomona matri .

A P O L L O  
LYRAM SVAM LAVDAT

*contra Mercurij caduceum .*

O D E VI.

CYENÆA Siren, blanda biuerticis  
Regina cliui, Pieridum lepos ,  
Patriquè Dictæi voluptas ,  
Chara polo, LYRA, chæra terris :

Tu dulce tormentum auribus admoues  
Fastidiosis, & vigiles Deum

Miseræ, mortalesquè curas  
Castaliâ recreas sub vmbra .

Te belluosi murmura Bosphori  
Canente ponent ; tu fera robora

Mollibus, ac aurita Cyrrhæ  
Tesqua trahes, rigidasquè cautes :

Audax hiulci fulminis arbitra

Tollis rubentis tela Diespitris  
Phlegræa, & inuito tonantes

Vertis equos, retrahisquè currus ;

Effare, Mauors, quis tibi cuspidem ;

Effare, Pallas, quis tibi Gorgonis

Extorsit ora, cum Pelasgis

Iliacæ quaterentur arces ?

Tu nempè ferrum Martis, & ægida,  
 Irasquè belli carmine temperas,  
 Post te nec æratas phalanges,  
 Nec rigidos minitantis enses.  
 In à insueto nectareum melos  
 Effunde plectro: quale per ardui  
 Conuexa Parnassi & cupressi,  
 Et fragiles didicere myrti.  
 Vel quale sacro muta silentio  
 Excepit arcis fidereæ domus,  
 Postquàm Gigantæos tumultus  
 Iupiter, & nimiùm ferocem  
 Pugnare Rhætum fulmine lurido  
 Sacrârat Orco: cùm spolijs Mimæ  
 Onustus acclamaret æther,  
 Rector iô Superùm triumphe.  
 Iô, ter iô iam grauioribus  
 Præana neruis ingemina, mihi  
 Laurusquè victrices, tibi què  
 Pietios propera corymbos.  
 Impunè non te temnet Atlantius  
 Nepos, tonantis stirpe licèt Iouis  
 Iactet creatus, & potentem  
 Eloquij referare riuos  
 Pitho sororem vendicet: haud mihi  
 Pro te disertæ flumina copię  
 Desiderârim, nec loquacem  
 Palladij strepitum fluenti.  
 Pro te; rigenti quæ Rhodopes iugo,  
 Vocemquè mutis piscibus entheam  
 Donabis, ac mellita dulcis  
 Ora cynci, facilemquè Suadam.

DE MAGIS

*Christum infantem adorantibus.*

ODE VII.

Scan-